

libero movere potest quantum ad id quod effectivum est, non quod defectivum in illo libero actu. Et cum dicitur quod si Deus concurrat modo libero ad entitatem illius actus, ex nolente peccatum facit volentem, distinguo; facit volentem entitative, et effective, seu quoad id quod effectivum est, transeat; facit volentem defective et simpliciter quoad ipsum peccatum, nego. Unde Deo auctore homo non fit deterior, sed potius Deo auctore sustentatur entitas, ne penitus deterioretur, et destruat a malo.

LXX. Ad secundam confirmationem respondetur, Calvinum non distinxisse in peccato id quod formale est, seu defectuosum, et aversivum ab eo quod conversivum et effectivum, quia cum negaverit libertatem ponens Deum necessitare voluntatem nostram, non reliquit locum ut in peccato esset privatio rectitudinis et demeritum, quia talis actus non est capax defectus liberi, et privationis culpabilis, si ratio voluntarii liberi ab illo tollitur. Quare non distinxit ibi rationem aversionis, et conversionis defectus, seu privationis voluntariæ, et entitatis, et ideo non dixit nisi quod Deus ad totum illum actum necessitat, et necessitando non est locus distinguendi aversionem seu privationem rectitudinis ab eo quod effectivum et conversivum est, quia non est privatio rectitudinis, nisi libera fit. Quod vero dicitur ad necessitandum voluntatem non requiri majorem efficaciam, quam nos ponimus, respondetur, requirit nempe efficaciam quæ tollat indifferentiam iudicii, et non causet actum regulatum tali indifferentia, sed sine illa quod est actum esse omnino determinatum.

ARTICULUS VII.

Quid de decretis conditionatis, et de voluntate Dei antecedente, et consequente?

Egimus præcedenti tomo, disp. xx, art. II et v, de istis conditionatis decretis, et ostendimus Deo nullo modo repugnare, nec ullam indecentiam includere. Et loquimur de decretis conditionatis ex parte objecti, absolutis autem ex parte actuum, quo nomine non significamus aliud, quam decreta de facto existentia in Deo (id significat absolutum ex parte actus) quæ tamen pro objecto habent non aliquid de facto, et absolute futurum, seu existens, sed aliquid sub conditione ponendum, id est, quod existeret, si talis conditio poneretur.

Sed quia in his etiam decretis conditionatis admittendis, vel rejiciendis non nulla variatio est inter auctores, et defensores scientiæ mediæ, licet convenient in hoc, quod cognitio objectorum conditionatorum pendentium a libertate nostra non fundatur sufficienter in his decretis conditionatis, operæ pretium est eorum vim, naturamque explicare, et quomodo Deo convenient, aut illi deneganda sint.

I. Igitur plures ex defensoribus scientiæ mediæ negant absolute ista decreta, tum quia impossibilia, tum quia inutilia et otiosa, tum quia non conducentia ad cognitionem infallibilem rei liberæ, nisi destruant libertatem. Impossibilia censent, quia decretum liberum Dei non potest determinate versari circa tale, vel tale objectum, nisi ponat aliquam variationem, seu mutationem in ipso objecto: rebus enim omnino invariantis tam ex par-

te Dei, quam ex parte creaturæ, nulla sequitur nova denominatio in hanc partem potius quam in oppositam, sed manebit objectum in sua pura possibilitate, sicut antea: seu ex parte Dei nulla dari potest mutatio: ergo solum ponenda est ex parte creaturæ, et si ex parte creaturæ nulla detur, manebunt res omnino invariantæ ex omni parte. Per illud autem decretum conditionatum nulla datur mutatio ex parte creaturæ: conditionalis enim nihil ponit in esse: ergo non est dabile tale decretum in Deo. Et præsertim urgetur hoc, quia non potest voluntas ferri actu in aliquid sub conditione, si esset bonum, sicut nec visus in aliquid, si esset coloratum, sed futurum sub conditione non habet actu bonitatem, sed solum sub conditione: ergo nec actu amatur, seu decernitur, sed solum sub conditione decernitur. Inutilia vero, et otiosa censent, quia aut Deus decernit tales conditiones purificare, et resolvere, aut non. Si decernit purificare, ad quid vult sub conditione; sufficit enim rem de facto ponere, ut v. g. si Deus decernit facere paradysum cum talibus arboribus, et fontibus, etc. ad quid servit decretum aliud sub conditione, quo dicat: Si creavero paradysum, faciam in eo fontem. Si vero decernit non purificare conditionem, multo inutilius est decretum: solum enim ad otiositatem pertinere videtur occupari circa combinationes conditionales, simul decernendo nihil de illis facere: nam posito decreto Dei absoluto de non purificanda conditione, conditio illa remanet impossibilis, v. g. decernere, si Christus prædicaverit Tyriis, convertentur, posito absoluto decreto non veniendi, est conditio impossibilis, scilicet quod veniat Christus: ergo est formare decretum de conditione impossibili, quo nihil inuti-

lius, ut si decernat Deus, si detur chimæra, illam conservabo, si non essem Deus, volo ut Tyrii convertantur. Quid stultius? Et præsertim si haberet istas combinationes circa omnia possible; nec enim major ratio est quod habeat circa unum objectum quam circa aliud: tunc autem occuparetur Deus circa infinita possible, decernendo quid fieret in tali, vel tali mundo, si illum condidisset; et tamen simul nihil horum volendo facere, quod est plane inutiliter, et otiose occupari.

II. Denique, non conducere ista decreta conditionata ad infallibilem rei liberæ cognitionem probatur. Nam vel istud decretum conditionatum est prædefinitivum actuum liberorum sub conditione, si hoc vel illud ponatur, vel non. Si non est prædefinitivum: ergo neque in vi decreti est infallibiliter ostensivum determinationis liberæ, quia non causat illam determinationem, et sic si non causat, manet voluntas, posito tali decreto, æque indifferens, et indeterminata. Unde ad videndam talem determinationem oportet uti non illo decreto, sed alio principio, id est, scientia non fundata in decreto, et hæc scientia mediæ, quæ cognoscit veritates illas, quatenus in se determinatæ sunt, non quatenus ex decreto Dei libero dimanant. Si vero tale decretum conditionatum est prædefinitivum, et ideo cognoscit Deus talia futura per decretum, quia prædefinita. In primis cum illa prædefinitio sit causa antecedens, et infallibilis, tantæque efficaciam quod ei resisti non potest, tollit contingentiam in re decretata; et deinde quia tunc cognoscit res decretata ex vi decreti per illationem, et consequentiam necessariam: ergo per scientiam simplicis intelligentiæ, ad quam spectat cognitio omnis connexionis necessariæ; quod tamen nos nega-

mus, ponentes illam scientiam fundari in decreto libero. Fieri autem illationem necessariam ex decreto constat, quia ista consequentia est necessaria. Datur prædefinitio: ergo datur actus prædefinitus. Nec est solum necessaria in vi consequentiæ, et ex suppositione, sed in vi consequentis, et absolute, quia prædefinitio est causa antecedens talis actus.

III. Propter hæc, et alia similia argumenta conveniunt defensores scientiæ mediæ in hoc quod est, non dari in Deo decreta absoluta, seu de facto existentia in Deo ex parte actus, et conditionata ex parte objecti, tamquam requisita, aut necessaria ad cognoscendum veritatem determinatam talium futurorum; id enim esset manifeste contradicere scientiæ mediæ, cujus unica formalis ratio in hoc consistit, quod possit attingere determinatam veritatem actus liberi creati ante omnem determinationem divinæ voluntatis circa illam. Loquendo autem de decretis conditionatis, non prædefinitivis nec determinantibus veritatem rei conditionatæ, sed tantum exprimentibus voluntatem divinam circa rem absolute non futuram, quidam ex defensoribus scientiæ mediæ in totum illa rejiciunt, quidam admittunt, licet alii quasdam limitationes illis addant. In totum rejiciunt Molina 1 p. q. XIV, a. XIII, disp. XV, XVII et XVIII; Vasquez 1 p. disp. LXVII, c. IV, n. XXI et XII, disp. XLII, c. III et IV, et alii quos citat et sequitur Alarcon, tract. de voluntate Dei, disp. V, c. VIII, n. VI. Admittunt vero illa Suarez pluribus locis, ut libro secundo de scientia conditionatorum, c. VII, n. X, et libro quarto de prædestinatione, c. II, n. XI, ubi ad talem voluntatem conditionatam reducit illam, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, et novissime

illa admittit, et probat ex aliquibus Scripturæ locis, prolegomeno II de gratia, c. VIII. Admittunt autem ista decreta de facto dari in Deo Arrubal 1 p. disp. XLV, c. IV, et alii cum quadam limitatione, v. g. quando non sunt ita pure conditionata quod non admittant aliquid absolutum, quod a parte rei connotent, v. g. aliquam revelationem Dei ad extra vel aliquid simile, ut in illo vulgato exemplo IV Regum XIII, ubi dixit Elisæus ad regem Joas: *Si percussisses quinquies, vel sexies, percussisses Syriam usque ad consumptionem*; ubi inter illam conditionem, et illum effectum non est aliqua connexio, nisi ex decreto, et voluntate Dei; sed tamen quia nulla voluntas libera datur in Deo sine aliquo effectu connotato ad extra, eo quod in sententia istius auctoris decretum liberum ut liberum in Deo addit aliquam causalitatem effectus ad extra, ideo pro tali connotato in illo actu ponit illam revelationem, quam Deus fecit de illo eventu ipsi prophetæ. Et sine aliquo effectu absolute posito non admittit decreta ista conditionata. Et eadem ratione videtur non admittenda aliqua voluntas inefficax in Deo sine aliqua efficacia quod aliquem effectum.

IV. Nihilominus ut incipiamus explicare modum efficacis voluntatis in Deo, et quomodo in illo ponenda sit ab istis conditionatis decretis id inchoandum est, revera enim quoad effectum absolutum inefficacia sunt. Dicimus ergo ea nullo modo repugnare Deo, imo necessario ponenda esse circa illa objecta conditionata, de quibus Deus revelavit in Scriptura, quid faciendum esset sub aliqua conditione. Et præter motiva, et fundamenta quæ late ponderavimus præcedenti tomo, disp. XX, art. II, hæc sententia est expressa D. Thomæ,

qui loquens de voluntate antecedente, quæ formaliter et de facto est in Deo, sicut illa qua vult omnes homines salvos fieri: hæc enim voluntas de facto est in Deo: non enim dicit Apostolus quod Deus vellet omnes homines salvos fieri, ita quod voluntas de facto non detur, sed daretur, sed dicit quod vult, quæ est voluntas de facto. De hac dicit D. Thomas quod est voluntas conditionata: cum enim in primo, dist. XLVI, q. I, art. I objecisset secundum argumentum, quod voluntas conditionata est voluntas imperfecta: ergo non est Deo attribuenda, respondet quod: « Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis. » Ubi non loquitur D. Thomas de voluntate conditionata ex parte actus, id est, de voluntate, quæ non est de facto in Deo, sed esset, si talis conditio poneretur, sed solum de conditionata ex parte objecti, quia si voluntas illa conditionata non est, sed esset in Deo, etiam voluntas antecedens non est, sed esset in Deo, quia D. Thomas voluntatem antecedentem dicit esse conditionatam; si autem voluntas antecedens non est in Deo, sed esset: ergo per illam Deus non vult, sed vellet, quia Deus non vult nisi ea voluntate quam de facto habet. Per voluntatem autem antecedentem vult, quia vult omnes homines salvos fieri, et illa est voluntas antecedens secundum Damascenum et D. Thomam ut docet in hac questione, a. VI, et statim ostendemus: ergo non magis repugnat Deo voluntas conditionata quam antecedens.

V. Confirmatur, quia voluntas antecedens reperitur formaliter in Deo, ergo et voluntas conditionata. Patet consequentia, quia voluntas antece-

dens conditionata est, ut dicit D. Thomas. Et constat, quia est voluntas ad quam non sequitur effectus, sed sequeretur, si aliqua conditio poneretur, sicut Deus vult omnes homines salvos facere, si per ipsos non steterit. Antecedens vero probatur, quia voluntas beneplaciti est formaliter in Deo, quia est voluntas proprie dicta, non sicut voluntas signi, quæ est metaphorice in Deo, ut docet S. Thomas in hac questione XIX, art. XI, sed voluntas beneplaciti dividitur in voluntatem antecedentem, et consequentem, ut docet idem D. Thomas q. XXIII de veritate, art. III, in corpore; ergo talis voluntas antecedens, atque adeo conditionata est formaliter in Deo.

Deinde, probandum est quod ista decreta conditionata non repugnant in Deo, neque ex parte sui objecti, neque ex parte connotati ad extra, nec ex parte prudentiæ, et gubernationis divinæ, neque ex parte determinationis, et prædefinitionis voluntatis Dei decernentis: ergo non est cur negentur Deo.

VI. Non repugnant ex parte sui objecti, quia objectum potest esse bonum, et honestum, ut conversio Tyrionum, si apud eos Christus faceret signa, imo etiam potest esse debitum, et ordinatum ex inclinatione, et ordinatione causarum, sicut gratia primi Angeli, et primi hominis sub statu innocentie ordinabatur ad gloriam, nisi ipsi impedimentum posuissent, et hoc totum Deus volebat, et ordinabat, dum illam gratiam dabat: ergo potest Deus objectum sic conditionatum et honestum velle, sicut vult converti peccatorem et salvari, quem tamen videt non convertendum de facto: id enim recte nos possumus velle, et ad id conari, et operam dare, idque nobis præcipit Deus: ergo etiam Deus id velle potest tamquam objectum honestum. Nec obstat quod

Deus videt conditionem non esse amplius possibilem, supposito decreto non ponendi illam. Non enim videt Deus conditionem non esse possibilem, sed non esse futuram. Non repugnat autem Deum velle aliquid sub uno ordine rerum esse futurum, et quantum est ex meritis aliquarum causarum, non tamen simpliciter, et de facto esse futurum in re, propter alias causas superiores, sicut volebat Lazarum non resuscitari secundum cursum ordinarium, bene tamen secundum miraculosum, et volebat Ezechiam mori secundum naturalem vim morbi, non tamen secundum causas superiores: Deus enim varios rerum ordines disponit et vult et secundum unum voluntas ejus aliquid vult quantum est ex vi illarum causarum, quod secundum alium ordinem de facto non vult, et talem voluntatem otiosam aut inutilem judicare non potest, nisi qui otiosum aut inutile judicaverit in supremo omnium rerum gubernatore diversos ordines rerum disponere, nec tamen velle ut omnes sortiantur effectum.

VII. Nec ex parte connotati ad extra est repugnantia ad habendum ista decreta; tum quia sicut objectum est conditionate, et non absolute futurum, ita sufficit quod connotatum sit conditionate futurum, nec est necesse quod voluntas de facto inventa in Deo regulatur penes aliquem effectum de facto positum in re, nisi voluntas sit efficax simpliciter, non autem antecedens et inefficax, præsertim cum auctores oppositi admittant simplicem Dei complacentiam circa creaturas posibles, quæ de facto est in Deo, et nihil ponit circa illas, et multi dicunt illam complacentiam liberam esse.

Tum etiam circa res pertinentes ad hoc universum, non est aliqua voluntas Dei antecedens, et ineffi-

cax, quæ non habeat adjunctum, saltem concomitanter aliquem effectum ad extra, sicut Deus vult omnes homines salvos fieri dando illis media sufficientia ordinantia ad salutem, etsi non det ipsam salutem, et vult ut Ezechias moriatur quantum est ex vi morbi, ponendo ipsum morbum sic ordinatum ad mortem, licet effectu mortis careat, et sic de aliis. Tum denique, quia nulla est repugnantia quod voluntas Dei velit aliquid quod tamen nihil reale ponat in effectu ad extra, sed solam denominationem extrinsecam, sicut vult aliquem esse deobligatum a lege, vel a voto, et alia multa similia quæ supra late ponderavimus, nec est necesse hic repetere, et solutiones in contrarium refutavimus. Ergo similiter potest velle aliquod conditionatum non ponendo aliquid reale de facto, et absolute, sed solum aliquam denominationem extrinsecam, qua illa conditio est ordinata ad hunc effectum, si ponatur.

VIII. Non repugnat ex parte gubernationis, et prudentiæ divinæ, atque adeo neque stultum aut inutile reputari debet talia habere decreta. Nam prudentia, et gubernatio exigit ut non omnes causæ suum sortiantur effectum, et tamen quod tales causæ sint: nam, v. g. plura debent esse inter se contraria, et opponi ac litigare, nec tamen omnia possunt vincere, sed aliquod debet carere effectu, alias esset magna confusio et impossibilitas. Pertinet autem ad providentiam summam Dei etiam causas contrarias creare, et earum inter se oppositionem causare, quia hoc pertinet ad compositionem universi, quod ex contrariis coalescit, et ex multis causis contingentibus, quarum non omnes effectum semper sortiri possunt, alias contingentes non essent. Unde dicitur Ecclesiast. xxxiii: *Intue-*

re omnia opera Altissimi, duo et duo, et unum contra unum. Ergo necesse est ad regimen causarum contrariarum, et contingentium, multa ex illis ad effectum ordinare, nec tamen omnia permittere habere effectum, quæ tamen haberent, si secundum suam ordinationem, et inclinationem permetterentur operari, et sic datur de illi voluntas de facto in Deo cum objecto sub conditione, et cum absoluta voluntate ex parte Dei, ut sit causa ordinata ad effectum, et quod effectus ex vi illius ordinationis sit futurus, de facto tamen non sit futurus. Hoc ergo non est inutile, et stultum sic velle, sed omnino necessarium ad rectam providentiam, præsertim summi provisoris, qui omnibus providere debet, tam his, quæ de facto eveniunt, quam his, quæ suo effectu frustrantur, ad quem habent inclinationem, et consequenter, qui esset, si non impediretur, et omnia hæc Deus vult de facto, quia sic providet de facto: cum enim providet quod aliquæ causæ sint inclinatæ ad unum effectum, providet quod ille effectus sit futurus ex vi talis causæ, et sub conditione si non impediatur. Et cum rursus providet ut a contraria causa de facto impediatur, providet ut non sit de facto futurum, sicut providendo quod ignis magnus incendatur circa aliquam domum, conflagratio domus est futura, si ignis approximet, et tamen providendo quod a vento contrario repellatur, vel ab imbre extingatur, prohibet ne sit de facto talis conflagratio. Habere ergo istam voluntatem de conditionatis objectis nihil repugnat, sed omnino conducit ad providentiam divinam.

IX. Denique, non repugnantia conditionata decreta ex parte determinationis et prædefinitionis divinæ: tum quia multa ex his conditionatis objectis sunt res, quæ ab

ipso Deo solo faciendæ erant, si aliqua conditio poneretur, et non ab homine, et de talibus non est inconveniens quod detur prædefinitio in Deo, cum nulla creata libertas per hoc periclitetur, sed solum explicetur quid Deus decreverit apud se facere, et se solo, si talis apponatur conditio, ut est illud Matth. xxvi: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modum plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ubi illa exhibitio Angelorum a solo Deo erat faciendæ, et erat volita a Deo sub conditione, si Christus id peteret: nam illud verbum exhibebit omnino determinatam resolutionem, ex parte Dei significat: nec enim id dixit Christus tamquam rem decernendam, et quæ adhuc esset in dubio, sed quæ omnino esset resoluta ex parte Dei; non poterat autem esse resoluta, et determinata, nisi esset de facto decreta ex parte Dei. Et idem sumitur ex illo Psal. cv: *Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus.* Ecce si Moyses non orasset in tanta humilitate, et confractione spiritus, decretum erat a Deo disperdere illam gentem, et hoc decretum de facto erat in Deo: nam Deus id dixit: ergo et decrevit: erat ergo decretum de facto habitum ex parte Dei, et tamen objectum erat conditionatum, et a Deo exequendum, nempe disperdere gentem, si Moyses non orasset. Et similia multa passim reperiuntur in Scriptura. Tum etiam quia in his, quæ per homines faciendæ sunt, ut est conversio Tyriorum, si Christus apud eos prædicaret, obedientia populi Israel ad Salomonem, et hæredes ejus, si custodiret legem Domini obedientia fidei quam promisit Deus semini Abrahamæ, et quod esset pater omnium credentium, quorum multi cre-